



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## Universitätsbibliothek Paderborn

### Antonii Bynaei de Calceis Hebraeorum Libri Duo

**Bynaeus, Anthony**

**Dordraci, 1682**

Viri docti opinio probatur, qui hoc beneficium putat in admirabili Dei providentia, qua de calceis Hebræis prospexit, ut ubi veteres defecissent haberent novos.

**urn:nbn:de:hbz:466:1-12835**



quem præbebat petra, eam indidisse virtutem, ut in posterum neque esurirent, neque sitirent, quale propemodum miraculum in Elia 1. Reg. 19, 8. reprehendimus, qui virtute cibi & potus per quadraginta dies iter confecit, sed panem singulis diebus misisse, & aquam ex petra ipsos sequi iussisse. Quis ergo credet vim incorruptam calceis fuisse inditam, aut crescendi facultatem, ut iisdem calceamentis quibus induti fuerant in Ægypto per quadraginta annos in Arabia desertis errarent, cum Deus ne quidem hac in re naturam rerum mutaverit, ut sine cibo & potu vitam ducerent, aut virtute cibi per aliquot dies saltem vagarentur, quod Eliæ contigit. Quare de vulgata hac opinione semper dubitavi, & aliter sacram historiam censui interpretandam.

VIII. Memini me, cum hæc animo volverem, sermonem aliquando habuisse cum magno doctore meo Johanne Georgio Grævio, qui affirmabat sibi videri virum doctum verum vidisse, qui hoc beneficium, quod Moses com-



commemorat, situm fuisse putat in admirabili illa Dei providentia, qua Israelitas quadraginta annos per deserta inculta & horrida & omnium egena duxit, ut nunquam tamen ipsis aut vestes aut calcei defecerint, aut materia defuerit, qua potuerint & vestiri & calceari. Ut hæc verba nequaquam indicent vim incorruptam calceis inditam, aut una cum infantum & puerorum pedibus eos crevisse, sed nunquam defuisse vel calceos vel materiam unde calceamenta confuerentur. Placebat mihi eo tempore hæc opinio, nunc vero, ubi omnia perpensi paulo diligentius, plane in ea acquiesco, cum evidenter possit demonstrari verba Mosis nihil aliud indicare, & ostendi qua ratione de novis calceis iis prospexerit supremum Numen.

IX. Verba Mosis non esse intelligenda quasi easdem semper vestes gestassent Judæi, & iisdem semper calceis usi fuissent qui vetustate non essent consumpti per quadraginta annos, sed nihil ne in vestibus quidem & calceis per quadraginta